

c. 48, objiceret Pelagius: « Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur; » respondet S. doctor: « Per enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram (scilicet libertatem) quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio quae et bona constrictione nature; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiae, quia non potest velle peccare. Quod et alibi passim inculcat. Ergo. — Resp.: Nego subs. ad prob.: Absurdum est juxta S. Augustinum nos liberos non esse in eo quod beati esse volumus, quod libertatem contrarietatis, conc.; quod libertatem contradictionis, nego. Scopus enim S. Augustini in adducto loco aliquis similibus est refellere Pelagianos, qui constituebant essentiali libertatis in libertate contrarietatis, seu in indifferentia ad bonum ac malum, minime vero in libertate contradictionis aut specificationis. Eos propterea provocat ad exemplum Dei ac beatorum, qui licet peccare non possint, neque a iustitia deficere, tamen liberi essentialiter sunt, quia nec libertas, nec pars libertatis, ut loquitur S. Ambrosius, est potestas peccandi (1); sed potius libertatis defectus, ut ait S. Thomas (2). Merito igitur S. Augustinus Julianum, qui dicebat: Deus liber non est, qui malum non potest velle, hanc ratione perstringit: Sicut Deum laudas, ut ei auferas libertatem (3)?

At, inquit Jansenius, S. Augustinus loquitur de voluntate justitiae, prout in Deo et beatiss. est, quae non patitur indifferentiam contradictionis. Deus enim suam iustitiam essentialiter et necessariò vult, prout necessariò pariter eam volunt beati. Ergo. — Resp.: Dist. ant.: Loquitur S. Augustinus de voluntate, quae prosequitur iustitiam, prout dicit exercitium justitiae ad extra, quae bona et justa operari potest vel omittere, conc.; prout dicit attributum essentialie ad intra, nego. Ad prob. dist.: Deus iustitiam suam et necessariò vult quoad specificationem ad volendum bonum et iustum, ita ut contrarie ab ipsa deficere non possit malum volendo aut operando, conc.; quoad exercitium ad extra, ita ut ab ipsa deficere non possit negativè non operando, nego.

Inst. IV: S. Augustinus, lib. 9 de Civ. Dei, c. 10 ad declarandam naturam nostre libertatis uult exemplis vite et prouincie Dei; ait enim: « Si illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necessesse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timemus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei et prouinciam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necessesse Deum semper vivere et cuncta praescribere. » Porro necessitas, que similis est illi, quae necessesse est Deum vivere et cuncta praescribere, omnem intermit libertatem à necessitate: atque haec necessitas ex Augustino liberta-

(1) Dial. de lib. Arb., c. 1, p. 117, col. 1. B. quod postea etiam inculcat; eadem habeat S. Thomas passim.

(2) 1-2, q. 109, a. 2, ad 2.

(3) Lib. 1 ep. Imperf. contra Julian. n. 100.

tem voluntatis non tollit. Ergo. — Resp.: Dist. maj. Necessitas, que similis est illi, quae necessesse est Deum vivere et cuncta praescribere, omnem tollit libertatem, si sermo sit de vita Dei naturali et essentiali, quae Deus est, conc.; si sermo sit de vita Dei, ut ita dicam, a accidentalis, que in operatione ejus ad extra consistit, que necessaria non est, nisi necessitate consequente et hypotheticā perinde ac prouidentia, nego. Jam vero S. doctorem de ejusmodi vita ac prouidentia loqui sum ex contextu tum ex scopo sibi proposito patet, qui est Stoicos illos impugnare, qui cum Tullio contendebant voluntates nostras nulli necessitati etiam consequenti subjici, ne videlicet non essent liberae, si subjicerentur necessitati. Quibus apposito respondet S. Augustinus necessitatem consequentem nullo modo officere libertati. *Sic etiam cum dicimus, pergit ipse, necessesse esse, ut cum volumus libero velimus arbitrio; et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subficiimus, quae admittit libertatem (1).*

Inst. V: At idem S. doctor, lib. de duab. Anim. c. 1, liberum arbitrium definit: *Animi motum cogente nullo, cui insistens S. Thomas haec expressè habet: Liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest (2);* igitur coactio est quae liberum arbitrium tollit. 2º Et sane, inquit, juxta hos sanctos doctores unam tantum propriè dictam coactionem libertati adversari evidenter efficitur S. Thomae testimonio, 1 p., q. 82, ad 1, ubi cum quæsiisset utrum voluntas aliquis ex necessitate appetat? illudque, quod certissimum est, constitisset, in beatitudinem universos necessario trahi, ideoque voluntatem aliquid ex necessitate velle, celebri quod sibi objecerat Augustini effato: « Si aliud quid est necessarium, non est voluntarium, » respondet: « Dicendum quod verbum Augustini est intelligendum necessariò de necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non auferit libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit. » Ergo juxta utrumque doctorem liberum arbitrium ex eo dicitur, quod cogi non potest coactio imprædicta seu necessitate, conc.; propriè dicta, nego. Interdum enim coactionis vox strictè sumitur pro vi ex principio extrinsecō illata, interdum latè pro naturali ac necessariò ad unum inclinatione, que facultatem ad oppositum auferit, interdum denique latissimè pro morali quādam vi eaque vehementi, non tam ineluctabili. Porrò tum S. Augustinum, tum S. Thomam coactiōis vocabulum latè, immo latissimè, usurpassè pro qualunque necessitate, adeò ut dūm aiunt: *Id esse liberum quod non est coactum, nil aliud sibi velint, quam id esse liberum, quod nulla necessitas extorserit, ex plurimis ipsorum locis apparet.* Sic S. Augustinus lib. 1 Retract. c. 15 scribit primos parentes ideo esse cuiusdam, quae nullo cogente, hoc est, liberā voluntate peccarūt: *Scasit enim, ait, tentator, ut hoc fieret, non cogit. Sic*

(1) Ib., n. 1.

(2) In 2. d. 23, q. 1 a. 4.

pariter S. Thomas, lib. 3 cont. Gent., c. 118, cum demonstrandum suscepisset per auxilium divinæ gratiæ hominem non cogi ad virtutem, ita disputationem aggreditur: *Possit autem videri alicui quod per auxilium diuinum coactio homini inferatur ad bene agendum; et alibi passim.*

Ad secundum, seu ad conf. dist.: ut supra: Si voluntas accipitur pro natura, conc.; si pro rationali accipitur facultate eligendi ac respondi vi predita, seu prout est formaliter voluntas ex dictis, nego. Talem esse mentem S. Thomæ constat ex iis que c. 24 de Veritate, ad 4, scribit: ubi cum ipsissimum S. Augustini sententiam usurpasset, ait: « Cum electio sit quoddam judicium de agendis, vel judicium consequatur, de hoc potest esse electio, quod sub judicio nostro cadit. Judicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus ex principiis. Unde sicut de principiis non judicamus ea examinantes, sed naturaliter eis assentimur... ita et in appetibilibus, de fine ultimo non judicamus... sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundum Augustinum, non autem liberum judicium propriè loquendo, quoniam non cadat sub electione. »

Inst. VI: Laus non debetur nisi actibus liberis: atque S. Augustinus laudem Deo, et angelis tribuit ob actus ipsis prorsus necessarios: Etenim tract. 53 in Jo. laudi Deo verit quod negare se ipsum non potest; et lib. 42 de Civ. Dei, c. 1, angelis adhaerere Deo. Id ipsum dicitur de vituperio ac de demerito; 2º nam idem S. doct. sibi semper constans docet, inesse in nobis post primi hominis lapsum peccandi necessitatem adversus Pelagianos, ac prorsim lib. 1 op. Imp. c. 103, et tamen simul docet adversus eosdem peccata ista ex necessitate patrata à Deo imputari; ait enim ib.: « De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, dilecta iuventutis et ignorantia mea ne memineris. Quod genus delictorum, si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. » Ergo. — Resp.: Dist. maj.: Laus propriè et strictè sumpta non debetur nisi actibus liberis, concedo; laus latiori sensu sumpta, scilicet pro honore, nego. Sie dist. maj.: S. Augustinus laudem latè sumptam Deo et angelis tribuit ob actus ipsis necessarios, concedo strictè sumptam, nego. Ut enim observat S. Thomas, laus strictè sumpta est sermo dilucidans magnitudinem virtutis, et hec non debetur nisi actibus liberis; quatenus vero latè sumitur, laus nempe pro honore non actu sicut laus, sed magis agenti tribuitur, ut ipsemet loquitur, et confertur ratione dignitatis solius suppositi, licet jam sit in fine ac proinde etiam propter actus necessarios (1). Neque alter in objectis locis intelligen-

(1) In primo Ethic. lect. 18, et 2-2, q. 103, a. 1, ad 5, ubi integer textus ita se habet: « Laus distinguitor ab honore dupliciter. Uno modo, quia laus consistit in solis signis verborum, honor autem in quibuscumque exterioribus signis: et secundum hoc laus in

dus est S. Augustinus. Ad Deum vero speciatim quod attinet, ipsum etiam stricto sensu laudare possumus, si non quantum ad ejus essentiam, saltem secundum affectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur, quod Angelicus doctor rursus animadvertis (1). Ad secundum, dist.: S. Augustinus docet inesse homini necessitatem peccandi peccato materiali et impropre dicto, concedo; formaliter et propriè dicto, subd.: Necessitatem moralem et vagam, concedo; physicam et determinantem ineluctabiliter ad aliquod peccatum, nego. (2). Sed de hoc fusiū in tract. de Gratia.

II. Obj. Christus liber plane fuit tum in amando Deo, tum in precepto Patris servando de morte subiectus; his enim actibus et sibi et nobis meruit, sibi gloriam, nobis gratiam. Libertas autem totius meriti radix est. Atque Christus nullà quoad illos actus utebatur libertate à necessitate, cum neque ab amando Deo abstinere posset utpote comprehensor, neque à morte subiectus, cum sibi servandum esset preceptum Patris. Ergo. Haec autem confirmantur ex iis, que scribit S. Thomas disserens de libero Christi arbitrio: « Vel dicendum, inquit, quod si etiam liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte sed sponte tendit et ita est actus sui dominus (3). » Ergo juxta S. Thomam 1º non tollitur libertas ex determinatione ad unum; 2º ad rationem meriti ac laudis sat est non coacte, sed sponte, in laudabilia ferri, seu solam externam coactionem, non autem necessitatem aut spontaneitatem officere libertati. — Resp.: Dist. primam partem maj.: Christus liber fuit in amando Deo, quatenus amor ille ad creaturas tendebat, concedo; quatenus amor ille divinam bonitatem essentialiter intuitivè cognitam spectabat, nego. Hoc enim postremo sensu actus amoris beatifici nec liber est, nec indifferens, sed omnino necessarius; at in priori sensu actus amoris in Christo liber fuit libertate specificationis seu disparitatis: « Licet enim anima Christi, inquit S. Thomas, esset determinata ad unum secundum genus moris sciens ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter: poterat enim hoc vel illud facere; et ideo libertas in eo remanebat, que requiratur ad merendum (4). » Alteram majoris partem de libera Christi morte, concedo: Oblatus enim est quia ipse voluit; at nego maj. ex ea parte, quae dicitur Christus mortem necessariò subiisse, vel quia, ut pluribus placet, præceptum Patris

honore includitur. Alio modo quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia beatitudinis alicuius absolute; sed per laudem testificamur de beatitudine alicuius in ordine ad finem, sicut laudamus benem operantem propter finem. Honor autem est etiam optimorum, quae non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine. »

(1) 2-2, q. 91, a. 1, ad 1.

(2) Conf. Tournely, l. c. septima object.

(3) In 5 d. 18, q. 1, a. 2, ad. 5.

(4) Quæst. 29 de verit. a. 6, ad. 1.

non fuit praeceptum strictè tale seu strictè sumptum, sed solum latè tali (1), vel quia, quod alii potius arriget, si mandatum Patris fuit praeceptum propriè dictum, Christus ipsum habuit conditionatum tantum, dummodo scilicet ipse voluisse mortem obire nec petere dispensationem (2). In utrāque porro hypothesi Christus liberrimus fuit, idèque per eam et sibi et nobis promereri potuit (3). Ad conf., non tollitur,

(1) Ita censet inter ceteros Petavius l. 9. De incarn. c. 8. § 6, cujus hæc verba sunt: « Præceptum illud et mandatum, quod Christo Pater edidisse dicitur velut de perferrendis suppliciis ac luendâ morte, non absolutum imperium videri fuisse, sed simplicem significationem consili ac voluntatis sue, quia multa illi proponebat Pater ad humanam recuperandam salutem remedia: ex quibus quod vellet eligeret, adeò ut quidquid ex omnibus capesseret id sibi gratum esse, ac placere monstraret, proindeque mandante se ac præcipiente faceret. Non fuisse præcepti necessitate aliquâ circumscriptione Dominum Jesum docere ipsem videtur apud Joannem 10, 17, ita loquens: Propterea me diligit Pater, quia ego ponò animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. In his verbis, cùm se habere dicit *egorius*, id est, potestatem ponendi animam suam, ex proprietate nominis intelligentium est, utriusque amplectendi liberam ei optionem fuisse: non unius duntaxat. Nec enim potestatem, vel *egorius* homini datum esse quisquam sanus ac sobrius dicat, naturalis aliquando subeundæ mortis, vel si ex alto præcipite, in terram cadenti: vel eum denique, qui vinculis alligatus in carcere detinetur, potestatem illic habere manendi. Hæc enim ridicula sunt... Cùm ergo Christus potestatem habere se dicat mortis obeunda, eamque se ab se metipso, id est, suâpte voluntate suscipere, procul dubio demonstrat liberum sibi integrumque fuisse, utrum mallet è duobus eligere, ut aut moreretur aut se morti subtraheret. Quam deinde sententiam plurimorum Patrum græcorum et Latinorum auctoritate adstruit. Conf. Theses Nic. Rayé S. J. quas inseruit P. Zaccaria in thesauro theol. tom. 9, opusc. 18, in quibus ostendere satagit Christum incapacem fuisse præcepti rigorosi.

(2) Sic plures theologi arbitrantur juxta illud quod legitur Matth. 26, 53, de Christo dicente ad Petrum: An putas, quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? Nec improbabile putat Petavius l. c. § 15, in fine, potuisse Christum eodem momento, quo paternum de redimento genere humano consilium sine ullo præciso mandato cognovit, ab eodem ultrò perte ut quod suæ voluntati, electionique permittet, sibi hoc accuratiore imperio præcipere, quanto demissiore et humiliore obsequio fungeretur. Nam utrumque sic obtinebimus, ut et liberrimâ optione Christus mortem per tot cruciatus obeundam suscepit: et in hoc ipso *strictæ*, ut vocant, ac rigidæ obedientie partes impleverit.

(3) Plusquam viginti recensentur theologorum sententias ad hunc nodum dissolvendum, quem quisque recolere potest tum apud Marin. S. J. tom. 2, tract. 17. De Incarn. disp. 13 et 14, tum apud Aranda in eod. tract. De Incarn. Nemo tamen excogitavit, quod Hermesius in op. cit. Christiano-cath. Dogmatica p. 3, Munsteri 1854, p. 260, asservit, humanum Christi voluntatem minime libera fuisse, seu, ut ipse loquitur, Christum non habuisse *humanum liberè velle*. Quæ doctrina erronæ est, nec solum contraria communis Patrum doctrinæ, et theologorum omnium (conf. Petav. De Incarn. l. 8, c. 8), sed ipsius Ecclesie sensui et Scripturæ auctoritati, quæ nos perhibent Christum

juxta S. Thomam, libertas ex determinatione ad unum secundum genus mortis, quæque relinquat libertatem contradictionis et specificationis seu disparitatis, concedo; ex determinatione ad unum simpliciter, nego. Mensem enim suam S. doctor exposuit in adductis verbis. Ad secundam conf., dist: Ad rationem meriti ac laudis sat est non *coactæ*, sed *spontè*, in laudabilia ferri, id est, liberè ex immunitate à necessitate, concedo; spontaneè tantum, nego. Eo enim ipso quod dicat Angelicus doctor: et ita est dominus actus sui, patet vocem *coactæ* pro *necessariâ* usurpasse. Eodem enim docente, et sumus domini nostrorum actum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere..... unde appetitus finis non est de his quorum domini sumus (1).

III. Obj.: Ipsa libertatis notio suadet optimè necessitate cum libertate componi. Ad hoc enim, ut actus liber censeri debeat et sit, sufficit 1° ut prævio rationis judicio elicatur, per hoc enim distinguitur ab actibus brutorum; 2° ut voluntas seipsam ad agendum moveat, agatque proinde, et non agatur, tanquam bruta animantia (2); 3° ut sit perfectè voluntarius, id est, non solum à voluntate elicitus, sed etiam imperatus, et non coactus; 4° ut ita sit voluntarius, ut etiam sit in nostrâ potestate, adeò ut homo per ipsam si vult, facit; si non vult, non facit, ut loquitur S. Augustinus (3); 5° ut eum voluntariâ delectatione elicatur juxta illud ejusdem S. Augustini certissimum effatum: Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti (4), vel etiam ut alibi loquitur: liberâ voluntate facimus.... quia delectati facimus (5). Et sanè, inquit, 6° licet peccatores obdurate et habitibus irretiti durâ premanunt necessitate, liberè tamen peccant, in aliisdam damnati et dæmones graviter peccant majori adhuc necessitate compulsi; 7° beati in celo licet necessariâ Deum diligenter, liberè tamen diligunt, cum ipsorum amor actus humanus sit; ac 8° deniū Deus ipse, licet nunc saltē necessariâ creaturas vult, libetamen semper circa easdem censem. Ergo. — Resp.: Neg. ant.; ad primum, dist.: Sufficit ut subsit iudicio rationis indifferenti seu libero et expedito, concedo; iudicio ineluctabiliter ad unum inflexo et determinato, nego (6). Hoc enim speciatim intervenit discrimen inter homines et bruta animantia. Ad secundum, dist.: Ut voluntas ita se ad agendum moveat, ut possit pariter se non movere per plenam ad motum et quietem facultatem, concedo; secundus, nego. Et hie rursus patet diversa hominum et brutorum ratio, quia bruta phy-

ut hominem meruisse obediendo et mortem subeundo; non meruit autem, neque obedivit voluntate divinæ, ergo meruit et obedivit voluntate humana, et quidem liberâ, ut patet ex hac tenus dictis et ex Ecclesiæ doctrinâ, quæ ad merendum vel demerendum definitivæ requiri immunitatem à necessitate; quod nunc de fide est.

- (1) 1 p. q. 82, a. 1, a. 3.
- (2) S. Th. q. 24 de verit. a. 2.
- (3) L. de Sp. et litt. c. 31, n. 55.
- (4) Lib. 1 de Nupt. et Concupise., c. 50, n. 33.
- (5) In ps. 154, n. 11.
- (6) S. Th. 1. 2, q. 5, a. 2, a. 2.

sicè, non autem moraliter se movere possunt, nec propteræ *habent dominium sui actus*, ut ait S. Thomas (1) Ad tertium, dist.: Ut sit perfectè voluntarius in sensu super expoiso, concedo; alijs, nego. Sic etiam ut non sit *coactus*, id est, necessarius, concedo; *coactus* strictè sumptus, nego. Ad quartum, dist.: Ut sit in nostrâ potestate omniundam physicâ et morali per facultatem electivam ad opposita et diversa, concedo; in sola potestate physicâ, nego. Ad quintum, dist.: Eliciatur cum delectatione consequente, deliberata et vincibili, concedo; antecedente, indelibera et invincibili, nego. Talis porro est sensus Augustini in citatis locis, id est, necessarius factio ipso libertatis nostræ demonstrationem exhibere. Aliera ratio petitur ex modo ipso agendi. Etenim si necessitate aut spontaneitate ad agendum impelleremur, totam vim nostram premeremus, non autem ex parte tantum, ut in agentibus necessariis sit: porro nos vim nostram pro arbitrio exercimus, eam cohibemus, suspendimus, iterum connamur, etc. Tertia erinatur ex universali omnium hominum consensione, quæ oriri nequit nisi vel ex sensu intimo vel ex naturali animi propensione ad istud iudicium ferendum, quod pro instituto ostendunt philosophi. Hanc verò totius orbis conspirationem in agno scandâ hominis libertate pulchre exposuit S. Augustinus, dum hanc ait: Cantant et in montibus pastores, et in theatris poete, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis et in orbe terrarum genus humanum (1). Quartam suppedant leges, præmia ac penæ, quibus, Solone teste, ut habet Cicero, omnis humana res publica continetur, quæ prorsus inutiles forent, nisi detur vera in homine libertas (2). Quintam denique, ceteris pretermis, præbent ipsi libertatis impugnatores, qui etiæ ore et scriptis libertatem inflantur, ita vitam suam componunt et omnia sua dirigunt atque accommodant, ac si plena se uti libertate persuasum ipsis esset: in periculis enim sunt admodum solliciti, in dubiis cauti, in ulciscendis injuriis ferociis; hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem colant, puniunt si quid deliquerint, injurias propagant aliaque ejusmodi præstant, quæ cum ipsorum doctrinâ componi nullâ ratione possunt (3). Ergo.

PROPOSITO II. — *Etsi per origine peccatum liberum hominis arbitrium attenuatum sit, non est tamen extinctum, seu manet in statu naturæ lapsæ vera et proprie dicta libertas ad merendum vel demerendum necessaria.*

Est de fide. Concilium enim Trid. sess. 6, can. 5, hanc definitionem dedit: Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, in modo titulum sine re, figuramentum denique à Satànâ inventum in Ecclesiam; anath. sit. Cùm verò dicimus liberum hominis arbitrium per peccatum originale esse viribus attenuatum atque inclinatum, non id intelligendum est de proprietatibus ipsius naturalibus, sed juxta dicta, relatè ad integratatem naturæ, quæ Deus primum hominem prædictum voluit. Hæc thesis præcipue perstringit novatores seculi 16, Lutheranos et Calvinistas, neconon Jansenistas, qui communem cum ipsis causam inierunt, idèque argumentis theologis propriis vindicanda. Indirectè verò eos pariter afficit incredulos, qui negant hominem libero arbitrio

- (1) L. 2. Cont. gent. c. 47, rat. 5.
- (2) Lib. 41 de Gen. ad litt. c. 7, n. 11.
- (3) Conf. 2-2, q. 15, a. 4, ad 2, et alibi.
- (4) Recolantur, quæ de hoc arguento scripsimus in tract. de Beo, n. 291, seqq.

pollere. Cùm autem omnia argumenta, quæ tum ex Scripturâ et Patribus, tum ex libertatis notione deponentis in superiori propositione attulimus disserentes de libertatis naturâ, hanc eamdem propositionem evincant, supervacaneum propteræ ac molestum esset ea denuo proferre. Urgebimus propteræ adversus incredulos ea rationum momenta, quæ nos certos faciunt de existentiâ nostræ libertatis.

Ac prima quidem petitur ex ipso intimo sensu, quo ita aspiciuntur, ut planè sentiamus nos aliquid velle vi propriâ et ex proprio delectu, ut possimus ipsum non velle: id verò ita, ut de liberâ electione nostrâ dubitanti illiò possimus facto ipso libertatis nostræ demonstrationem exhibere. Aliera ratio petitur ex modo ipso agendi. Etenim si necessitate aut spontaneitate ad agendum impelleremur, totam vim nostram premeremus, non autem ex parte tantum, ut in agentibus necessariis sit: porro nos vim nostram pro arbitrio exercimus, eam cohibemus, suspendimus, iterum connamur, etc. Tertia erinatur ex universali omnium hominum consensione, quæ oriri nequit nisi vel ex sensu intimo vel ex naturali animi propensione ad istud iudicium ferendum, quod pro instituto ostendunt philosophi. Hanc verò totius orbis conspirationem in agno scandâ hominis libertate pulchre exposuit S. Augustinus, dum hanc ait: Cantant et in montibus pastores, et in theatris poete, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis et in orbe terrarum genus humanum (1). Quartam suppedant leges, præmia ac penæ, quibus, Solone teste, ut habet Cicero, omnis humana res publica continetur, quæ prorsus inutiles forent, nisi detur vera in homine libertas (2). Quintam denique, ceteris pretermis, præbent ipsi libertatis impugnatores, qui etiæ ore et scriptis libertatem inflantur, ita vitam suam componunt et omnia sua dirigunt atque accommodant, ac si plena se uti libertate persuasum ipsis esset: in periculis enim sunt admodum solliciti, in dubiis cauti, in ulciscendis injuriis ferociis; hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem colant, puniunt si quid deliquerint, injurias propagant aliaque ejusmodi præstant, quæ cum ipsorum doctrinâ componi nullâ ratione possunt (3). Ergo.

(1) Lib. de duab. anim. n. 15, al. cap. 41. Conf. Cudworth. lib. de aternis et immutabilibus justi et injusti Notionibus, c. 1, seqq. ad calcem system. intellect. Hoocke, Religionis principia, p. 2, sect. 1, art. 1, de libertate!

(2) Hinc A. Gellius Noct. attic. 1. 6, c. 2: *Sine libertate, aiebat, penæ forent injustæ*. Quæ ipsa quoque Augustini mens est: Sublatâ libertate omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, nec ullâ justitia bonis præmia et malis suppelia constituta sunt.

(3) Conf. Storchenau S. J. Institutiones metaphysicae, lib. 5, Psych., p. 4, sect. 3, c. 5. Appositi Hollandius in op. Réflex. philosoph., etc., de hoc arguento scribit: Il en est des arguments contre la liberté comme de ceux qu'on fait contre la possibilité du mouvement et contre l'existence des corps. Ces arguments sont quelquefois très-subtils, dissi-

Difficultates.

I. Obj. Scripturæ passim nullâ nos propriè dictâ libertate in præsenti statu pollere trahunt, ut 1 Je-rem. 40, 23 : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus. 2° Prov. 21, 1 : Cor regis in manu Domini : quodcumque voluerit, inclinabit illud, et alibi scipè. Ergo.— Resp. : Nego ant. Ad primum, dist. : Quoad execu-tionem, concedo; quoad exercitum, subd. : Quoad opera supernatura, concedo; quoad opera naturalis ordinis, si faciliora sint, nego. Ad secundum, dist. : Per motionem congruam, concedo; per libertatis ablationem, nego. Sic cætera testimonia, quæ affiri-solent, exponi debent; nempe vel de libertate execu-tionis, vel de necessitate gratia, vel de servitute peccati, vel de necessitate moralis, etc., ut suis locis exponendum.

II. Obj. S. Augustinus disputans adversus Pelagianos tria hæc nunquam non inculcat : 1° periisse post hominis lapsus innocentis hominis arbitrium, ut in Ench. c. 50 : Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum; 2° esse in natura lapsa peccandi necessitatem, ut in lib. cont. Fortunatum, n. 22 : Postquam ipse (Adam) liberâ voluntate peceavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus; 3° Arbitrii indifferentiam per Adæ scelus omnino periisse, eamdemque in libris contra Julianum acriter insectatur; et serm. 106, n. 11, aperte nos non agere, sed agi affirmat. Ergo.— Resp. : Ad primum, dist. : Affirmat S. Augustinus periisse post Adæ lapsus liberum hominis arbitrium, quale in pa-radiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, seu quoad ejus perfectionem ex dictis, concedo. Ab-solutè ac simpliciter, nego. Docet nempe S. doctor innocentis hominis arbitrium potens fuisse etiam ad immortalitatem et ad ulteriores actus, justitiâ originali et sanctitate ut privilegio stabili felicissimum statum illum perficiens; et hæc profectò libertas perit : at remanet arbitrii libertas naturalis, qualem hominis natura exigit tum ad actus aliquos saltem moraliter honestos, tum ad assentiendum activè gratia motionibus. Hinc Ench. I. c. S. Augustinus emortuum et non emortuum dicit nostrum arbitrium; emortuum ad ha-bendam plenam cum immortalitate justitiam, non emortuum ad cooperandum Deo, et ad moralia natu-ra opera saltem faciliora perficienda (1). Ad pri-

ciles à résoudre, surtout pour ceux qui ne connaissent point les charlataneries dialectiques; mais comme ils contredisent des sentiments vifs, préfonds, irrésistibles, universels, ils éblouissent l'esprit sans le convaincre. Indépendamment de toute méditation, l'homme croit qu'il y a du mouvement dans le monde, qu'il existe des corps autour de lui, et que c'est lui-même qui se détermine aux actions qu'on lui voit faire pendant le cours de sa vie. Les philosophes, qui soutiennent que c'est là un instinct trompeur, ne peuvent s'en dépourvoir eux-mêmes; malgré tous les sophismes qui leur font illusion, ils ne pensent pas autrement que le vulgaire, parce qu'ils ne peuvent s'empêcher de sentir comme lui. (1) Conf. Faure S. J. S. Augustini Enchiridion no-tis et assertionibus theologicis illustratum Rome 1775, in h. l., ubi fuse ostendit liberum arbitrium, et Jansenius.

erraverit Jansenius in videnda, ut ipse ait, et asseren-dâ Augustini sententiâ.

Ad illud, quod additur ex eodem sancto doctore, nos non agere, sed agi, reponimus falsum esse quod ad-versarii obtrudunt, nam S. Augustinus ibid. aperte dicit : Imò et agis et ageris, si à bono agaris.

III. Obj. Voluntas nunquam agit, sed semper agitur; 1° vel enim malum aversatur, vel bonum prosequitur. Si malum aversatur, necessario aversatur, eo ipso quod felicitati, in quam necessariò tendit, opponatur; 2° quod si bonum prosequitur, semper necessariò ma-lus bonum prosequitur, vel reale vel apparen-s, non so-lum in genere, sed etiam in specie seu in particula-ri. 3° Si verò diversi generis bona ab intellectu ut æqua-tia apprehendantur, voluntas nunquam eligit; alioquin enim eligeret sine ratione sufficienti, bilancis in mo-dum, que si utrinque æquè gravis fuerit, nullum un-quam dabit præpondium; quod si alteri ex lancibus adiectum quidpiam vel detractum fuerit, eam illuc præpondere oportebit, quod cam gravius pondus abri-piet, ideoque jam necessariò; 4° et samē voluntas in-cligendo semper sequitur intellectum, qui causa est necessaria; 5° cum non possit aliter res percipere nisi ex affectu, quem objecta in eum efficient aut exca-bunt, quaque major aut minor erit pro diversâ corpo-rum nostrorum indole, diverso animi habitu, au-propensione: hinc cernimus diversâ ratione ab uno eodemque objecto alias homines affici, in modo eundem hominem diversimodè diversis temporibus. Ergo.—

Resp. : Nego ant. ad primum, dist. : Si sub solâ ratione boni vel mali quidpiam voluntati proponatur, concedo; si sub mixta representatione boni ac mali, nego (1). Tunc eam voluntas non abripi-tur, sed deli-berat. Ad secundum, nego. Quandoquidem, ut scite passim observat S. Thomas, sola felicitas in genere seu bonum summum, quod est undequaque bonum, determinat necessariò nostram voluntatem: extera autem bona quacumque demum sint, hoc ipso quod sint finita ac limitibus circumscripta, nunquam ne-cessariò assensum nostrum abripiunt, cum ipsa limi-tatio malum seu defectus sit (2). Ad tertium, nego.

(1) Hinc optimè S. Th. 1-2, q. 15, a. 6 : In omnibus, inquit, particularibus bonis potest (homo) considerare rationem boni alienus et defectum alienus boni, quod habet rationem mali: et se-cundum hoc potest unumquodque hujusmodi bo-norum apprehendere ut eligibile vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alienus defectus; et idèo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem, cum non sit de fine, sed de his que sunt ad finem....., non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. Et idèo homo non ex necessitate, sed li-berè eligit.

(2) Rursum S. Th. I. c. q. 10, n. 2 : Quia defec-tus, inquit, cuiuscunque boni habet rationem non boni, idèo illud solum bonum, quod est perfectio, et cui nihil defectus, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alio autem qualibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona. Et secun-

Neque admittimus voluntatem in ejusmodi casu eli-gere sine ratione sufficienti, quia ipse finis, propter quem hoc vel illud eligeret inter duo aquata, esset ratio sufficientissima electionis. Adde ipsum proprie libertatis exercitum pro ratione sufficienti haberi posse (1). Sic nego paritatem adductam ex bilance ne enim anima nostra ad libelle imaginem et similitudi-nem facta est, sed ad imaginem et similitudinem Dei, qui inter duo aut plura æqualia eligit, et nos proinde eligere possumus in tali æquilibrio constituti, cum voluntas nostra sit principium activum, cuiusmodi libella non est (2). Ad quartum, dist. : Ita tamén, ut ipsa intellectus applicatio ad aliquid considerandum, et quidem sub uno potius respectu quam sub alio ab ipsa vicissim voluntate pendeat, concedo; secùs, nego. Ad quintum, negamus in ejusmodi perceptione vel affectione constitutam esse libertatem, prout adver-sarii singunt; sed in electione constituitur, quaæ talem perceptionem aut affectionem subsequitur, quo si habeat pro objecto bonum particula-re, locum semper relinquit deliberationi, ac proinde libertati, juxta ca-que ex S. Thomæ observatione protulimus. Adde sine objecto sive motivo externo determinante posse voluntatem ex principio sue activitatis intrinseco se mo vere præviâ objecti representatione, et ita proprie activitatis vim exerere, secùs ac Leibnitziani contendant (3).

IV. Obj. 1° : Voluntas nunquam ad actum accedit,

dum hanc considerationem possint repudiari vel approbari à voluntate, que potest in idem ferri secundum diversas considerationes.

In quest. verò 6 de Malo, art. unic. observat quod objectum movens voluntatem est bonum convenientem apprehensum, unde si sit aliquid bonum, quod ap-prehendat sub ratione boni, non autem sub ratione boni convenientis, non movebit voluntatem.

(1) Conf. Storchenau I. c. § 129, schol. 1, in resp. ad 5 diff., ubi pluribus rationibus labefactat ejusmodi difficultatem, ac inter cetera observat, quod rationalis et rationabilis non idem hoc loco significant, cum pos-sit voluntas aliquid rationaliter appetere et rationabi-liter eligere. Quod toties sit, quoties aliquis ex certa scientia, deliberato proposito, atque ex solâ malitia legem divinam aut humanam transgreditur; talis enim est, qui eligit peccatum, quod actu cognoscit grave malum esse, juxta illud poete :

...Aliudque cupido,
Mens aliud suadet; video meliora proboque,
Deteriora sequor.

(2) Conf. Zorzi Prodromo della nuova enciclopedia italiana, Siena 1779, art. libertà, § 18, ubi statuit li-beratem fundari in indifferentia æquilibrii, quod fusè prosequitur. Eò tamen progressus est Spinoza, ut asserere non dubitaverit, quod homo in tali æquilibrio positus (nomine qui nihil aliud percipit quam sitim et famem, talem cibum et talem potum, qui æquè ab eo distant) quin alterutram eligat, fame et siti peribit. Ilæ delirantium sonnia sunt.

(3) Conf. Storchenau I. c., ubi observat indifferen-tiam activam duplificare esse: unam electionis, alteram simpliciter activam: illa non eget principio determinante externo, hæc eget: differt tamen ab indifferen-tia passiva, que per principium externum efficiens tolli debet: illa soli voluntati competit, estque neces-sarium vero libertatis constitutum; hæc et intellectus et appetitus proprius est.

nisi praevio judicio practico; 2º multo minus aliquid vult contra practicum et ultimum intellectus judicium; 3º maximè quod voluntas non est nisi potentia cæca; ergo à judicio practico necessariò determinari debet; 4º atqui judicium practicum est necessarium; pendet enim à judicio intellectus theoretico, cuius munus est rationem exhibere tum boni tum mali in objecto, quod necessariò representat prout percipit, cùm intellectus sit potentia necessaria. Ergo. — Resp. ad primum: Nego. Neque enim absolutè requiritur ejusmodi practicum judicium ad hoc, ut voluntas aliquid velit aut nolit, vel etiam suspendat suas volitiones: sufficit enim simplex boni representatio vel mali, quin verum judicium instituatur, ut voluntas suos actus eliciat. Ex ejusmodi enim representatione habet voluntas, quidquid proximè requiritur ad volendum aut non volendum. Ad secundum, dist. Quatenus voluntas nunquam non velit, quando actu vult, concedo; quatenus aliquid judicium prævium requirat, ut illud necessariò sequi debeat, nego. Cùm enim à voluntate pendaat, ut judicium illud ultimum sit, quando jam vult, si contrarium posset velle, vellet et non vellit eodem actu, quod implicat. Ast ipsa nullo indiget judicio prævio, quo necessariò determinetur (1). Ad tertium, dist.: Voluntas est potentia cæca, quatenus nunquam agat absque objecti representatione, concedo; absque judicio practico et quidem prævio, nego. Hinc negamus consequentiam. Ad quartum, nego. Ex dictis enim voluntas ipsa est, quæ vim suam exercet in hoc judicio, intellectus applicando ad hanc potius quam illa motiva perpendenda, sub hæc potius ratione quam sub aliâ, et prout vult, donec se determinet ad electionem; et hinc patet, liberum pariter sub hoc respectu esse judicium theoreticum intellectus, quod à simplici perceptione minimè pendet, sed ab applicatione voluntatis ad ea quæ percipit: licet propterea perceptio in se sit necessaria, non est tamen necessarium judicium, quod eam subsequitur; imò sepè sibi judicamus contra id quod sensus exhibent et res recepta praefereant: e. g., remum in aquâ non esse fractum, etsi fractus appareat, solem et lunam longè majoris amplitudinis esse ac sensus referant ob ipsorum à nobis distantiam, aliaque id genus innumeris ut leges opticae postulant, ac physica præsentim recentior docet: sepè etiam positâ perceptione suspendimus judicium et nihil omnino decernimus. Demum ipsa perceptio quodammodo voluntatis imperio subest, quatenus voluntas, ut dictum est, applicat sensus circa hoc vel illud objectum, ut inde mens ideas sensiles sibi cedat ac deinde percipiat, et si de veritatibus abstractis sermo sit, mentem applicat ad hanc potius quam illam veritatem contemplandam. Patet inde mentem humanam semper activam esse in suis kleis, in suis perceptionibus, in suis judicis, in suis volitionibus ac determinationibus (2).

(1) Conf. ib. c. 2, § 22, schol. 1, ubi id ex professo ostendit.

(2) Ex dictis patet corruere totam argumentationem, per quam ingenti adeo apparatu humanam libertatem evertere præfidebat Collinus, ductam ex animi nostri

V. Obj. 1º Saltem sensus intimus decipere nos potest, dum videtur testari nos pro libito velle, dum tamen recipiat à causa exteriori movemur; 2º eadem ratione ac si aci magneticæ aut lapidi incidenti paulò ante motum cum cognitione desiderium aliquod versus locum aliquem determinatum se mouendi imprimitur, videcentur sibi hæc corpora à se ipsis ad eum motum determinari, ac proinde liberè; 3º ita porrò et in homine recipiat accidere patet ex eo quod à Deo tanquam primâ causâ prædeterminari debeat, et applicari ipsius potentia, quoties ad actum accedere debet, seu saltem necessaria est Dei præmotio, quæ homo tanquam causa secunda omnes et singulas actiones suas peragat. Ergo. — Resp. ad primum: Vel nego vel distinguo: Sensus intimus nos decipere potest in his quæ sunt sensus intimi objectum et de quibus ipse aperte testatur, nego; in easteris, transeat vel concedo. Ostendunt enim philosophi nunquam sensum intimum in his de quibus aperte testatur et ejus objectum sunt, decipere nos posse (1): si quæ sint, in quibus videbimus decipi, non sunt ejusdem intimi sensus objecta, cuiusmodi esset existere nos ab alio, conservari, etc. Ad secundum, nego paritatem, nunquam enim vel acus magneticæ aut lapidis quæ in dictâ hypothesi putarent se liberè moveri, possent propriæ libertatis demonstrationem exhibere cessando à motu: contra verò homo non solum sentit dum mouetur se liberè moveri, sed sentit præterea se actu habere potest ad oppositum atque ad diversa, et cuilibet à se potenti demonstrationem sue libertatis illicet eam exhibet exsiliendo, consistendo, motum cohibendo vel accelerando, prout ipsi libet. Ad tertium, dist.: Prædeterminari aut prævomeri debet homo à Deo tanquam causâ primâ, quatenus indiget conservatione illius activæ facultatis, quam per creationem ipsi communicavit, concedo; quatenus homo ad actus singulos debeat præmoyer aut prædeterminari, nego. Nempe eâ ratione, quæ homo aut alia creatura qualibet propriam existentiam cum facultatibus, quas uniuscujusque natura exposcit, à Deo per creationem accepti, eadem ratione illarum à Deo conservationem habet per continuationem, seu extensionem illius divinae voluntatis actus, quo primum conditus est. Actus iste divinae voluntatis, qui se porrigit ad totam conservationis periodum, dicitur perpetua creatio, non eo sensu analysi; quæ enim, ut ipse aiebat, ad hanc de libertate questionem pertinere possunt mentis nostræ operationes ad has quatuor potissimum revocantur: percipere, judicare, velle, agere. Jam verò ex nulla harum origi potest electio. Mens enim necessariò percipit, judicat porrò prout percipit; vult prout judicat, agit prout vult; nullus igitur electioni locus. Verum ex iis, quæ attulimus constat, falsas esse ejusmodi assumptiones. Nam nec mens necessariò percipit, prout expositum est, nec necessariò judicat prout percipit, uti ostendimus; judicium enim juxta sanam philosophiam est mentis operatio distincta à merâ perceptione; nec sepè vult prout judicat; quod si agit prout vult, id est, quia hoc includit ipsum exercitium libertatis; implicat verò eodem tempore velle et non velle agere, idem enim simul esset et non esset.

(1) Conf. Storchianus Logic. § 108, seqq.

quod Deus recipiat continuè ac singulis veluti momentis eum de novo creet; sic impulsus ille, quem Deus homini primum indidit ad felicitatem in genere, et quæ homo mouetur ad eligenda particularia media, quæ ad eam conducunt, debet à Deo conservari, ut possit vires suas exercere, dicitur continua præmotio, et, si placet, prædeterminatio (1). In hoc profectè nihil intercedit, quo humana libertas libet vel minimam possit, quod facile cuiquam patet (2).

Difficultates, que peti solent vel ex divinâ præscientia, vel ex divinâ gratiâ efficaciâ partim in tract. de Deo disjecta sunt (3) partim disjacentur in tractatu de Gratia.

CAPUT VI.

DE FUTURA HOMINIS VITA.

Brevi dilabitur præsens haec vita, quæ data homini est, ut serviat Deo conditori suo. E matris sinu ad tumultu obscuritatem præcipiti ruimus cursu: « Omnes enim morimur, ut sapiens illa Theocritus aiebat, et quasi aquæ delabimur in terram, quæ non reveruntur (4) ». At ad itineris nostri metam pro meritis, quæ nosmet nobis comparavimus, altera nos vita manet. Fieri autem potest, ut homo ex hac vita decedens beatitudinem, ad quam conditus est, statim assequatur; vel ad tempus ab ipsa arceatur, donec scilicet à levibus, quibus hinc coquinatus sordibus migravit, pargetur, aut debitas aliunde pœnas persolvat; vel etiam, ob nefaria scelera, quæ sese obstrinxit, non solum ab eâ penitū excludatur, verum etiam gravioribus addicatur suppliciis; vel denique in perpetuum ob originalem noxam, quæ in expiatus supremum diem obiit, ab eadem beatitudine in perpetuum abjecitur. De hac proinde supernaturali felicitate, quæ in intuitu Dei visione ac fruitione posita est; de purgatorio et inferno, de statu decadentium sine baptismo disserendum ex ordine superest, quo totidem distinctis articulis prosequebimur.

ARTICULUS PRIMUS.

De supernaturali hominis beatitudine.

Beatitude, quæ etiam summum bonum ac ultimum finis dicitur, quamvis et probi et pravi homines vehementer appetunt (5) definitur in genere à Boetio

(1) Ita S. Th. 1, 2. q. 9, a. 6 ad 3, his verbis: Deus mouet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum, hoc vel illud: quod est verè bonus, vel apparens bonus.

(2) Conf. Fortunatum à Brixia Or. Min. ref. Metaphys. p. 5, sect. 3, § 60, seqq., ubi luculentiter hoc argumentum evoluit. Conf. etiam Gerdilium Saggio d'istruz. teolog. De Deo creatore. De mundo. Hinc ipse Tullius quæst. Tusc. I. 1, c. 23 aiebat: « Sentit animus semoveri; quod cum sentit, illud unâ sentit se vi suâ, non alienâ moveri. »

(3) P. 5, c. 1, n. 392, seqq.

(4) 2 Reg. 14, 14.

(5) Conf. S. August. serm. 1 in Ps. 118, n. 1, ubi præclarè scribit: « Si vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt.... Beatum quippe esse tam magnum est bonum, ut hoc

status omnium bonorum congregatione perfectus (1), et à S. Augustino: Bonorum omnium summa et cuncta (2) à scholasticis passim definiri solet: Summum bonum appetitus rationalis adæquatè sauiativum (3).

Ea autem vel est *objectiva*, vel *formalis*. Objectiva est res ipsa, cuius possessione efficiuntur beati; formalis est actus ipse, quo beatitate ipsa utimur ac fruimur, seu ipsa hujus rei possessio et fructus (4).

Magna olim inter philosophos de beatitudine objectivæ exarsit contentio: quare in diversas ipsi abière sententias, quas Lactantius enumerat (5). Marcus Varro apud S. Augustinum ostendit sectas philosophorum de summo bono ita posse permisceri, ut ex eâ permixtione biscentum octoginta sententiae seu placita existant, non quæ aliquando fuerint, sed quæ esse potuerint (6). Divinâ postmodum revelatione afulgenti, nullum dubium superest, solum Deum in quoeverum providentia ordinis objectum esse essentialis beatitudinis intelligentis naturæ, quatenus ab eadem possidetur per ultimam ac perfectissimam actualē facultatum operationem. Hec verò perfectissima operatio tribus potissimum actibus continetur, visionis nempto, amoris et gaudii (7).

Hæc, quæ de beatitudine diximus, tum naturali tum supernaturali ad utriusque rationem convenienti. Beatitudo enim naturalis, quamvis in se perfecta, relata tamen ad supernaturalem imperfecta est, ac ejusmodi nomine via digna, utpote quæ in sola visione seu potius cognitione abstractivæ consistit, quæ comparari potest per creaturas, atque in amore et gudio naturali, quæ inde diminant. Contra verò supernaturalis

et boni velint et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati.

(1) Lib. 3 de Consolat. philos. pros. 2.

(2) Enarr. in ps. 2 n. 11.

(3) Conf. Suarez tract. de ultimo fine et beat. disp. 15, sect. 1.

(4) Ex quibus patet beatitudinem ex duobus conflari, tum nempto re extrinsecâ, in quâ consistit summum bonum, et ejusdem boni possessione, seu unione, quâ nobis conjungit; nisi enim objectum beatitudinis nobis uniat, et nos quodammodo afficiat, beati nec esse nec dici possimus. Conf. Less. de summo Bono I. 1, c. 1.

(5) Lib. 3 Divin. instit. c. 8, ubi decem recenset sententias cum suis auctoribus.

(6) L. 19 de Civ. c. 1, n. 2, ubi quomodo illa permixtio facienda sit, et quibus differentiis additis tantus sententiarum numerus emergat, ostendit clarissime Conf. Suarez de Beat. in comm. disp. 5 sect. 4, less. l. c. c. 5.

(7) Conf. Suarez l. c. disp. 6, sect. 2, n. 10, 1. 1, et sect. 5, et Less. op. c. 12 c. 1, seqq., presertim verò c. 6, ubi inquirit, quis horum actuum in beatitudine sit potior, visio, an amor, an gaudium, ostendit quilibet eorum sub peculiari respectu sibi primatum vindicare. Visio quatenus est perfectio physica, et reliquorum radix et fundamentum; amor primum obtinet locum, quatenus Deum respicit ejusque bonum; gaudium seu fruictus primas obtinet, quatenus bonum hominis spectatur. Dantes preclare (Parad., cant. 30 v. 40) has diversas sententias componit illis versibus,

Luce intellectuali piena d'amore.
Amor di vero ben pien di letizia.
Letizia che trascende ogni dolciore.